homines imputantur) vel formale, seu modus considerandi, quo ab aliis disciplinis distinguitur, est naturâ justum vel injustum, rectum vel pravum, semotis legibus voluntariis. Stoici adpellabant officia & huc referebant perfecta, sive per se recta: media autem pertinentad Ethicen strictè sic dictam, quæ decus, virtutem, dignitatemq; in actionibus considerat. 3.) Formam, quæ consistit in scientia aut quod aliis placet, prudentia. Neutrum à vero abhorret. 4) Utilitatem, quæ varia. Primum, quia res interdum est cum alienis à vera religione, quique non aliud quam JUSTUM Naturale admittunt, nec alia ratione injuriæ impietatisque, quam ex hac Lege rei aguntur. Notum Christianis, quantum eam Amuratbus contra Ladislaum perjurum urserit. II) Docentur hoc Jura, quæ gentes gentibus connectunt, quæ regnandi parendive ubivis Juribus, imò etiam juribus privatis, communia quædam ac perpetua fundamenta substernunt. III.) Scire multum refert, quid juris sit naturalis, ut à positivo, quod à libera voluntate ortum habet, secernatur; item quid ex naturæ dictatu ut debitum, aut tantum LAUDABILITER præstetur. IV.) Etiam præcepta revelatæ religionis generalia ex Jure naturali subinde interpretationem recipiunt. Cujus rei exemplum habemus Machabæorum tempore quod accidit; cum enim vis hostilis in Sabbatho Judæis immineret, an quiescendum esset, an verò arma sumere liceret? graviter ambigebatur. Conligebant inter se duæ Leges: una naturæ, se suosque à vi injusta & crudeli defendere: altera exactam illo die ab omni alio opere abstinentiam præcipiens. Demum prævalnit sententia, quæ Legem naturæ Legi positivæ anteferebat. 1. Macc. II, 36. IX, 44. Matth. XII, 4, 11. Luc. XIII, 15. Jo. VII, 23. V.) quia defectus Legum Civilium suppleri aliunde non possunt: & experiuntur hodie viri summi, plus profici Rationum naturalium allegatione, quam auctoritatibus centum Doctorum. Rationibus pugnandum, non auctoritatibus. Illas autem præclarè invenies in penetralibus Juris Naturalis. VI.) Nullius gentis Jura Civilia penitus intelliguntur, nisi ab iis, qui peritia Juris naturalis præstant. add. Bœcler. ad Grot. Præfat. p. 32. VII.) Grotio hæc doctrina de Jure Belli & Pacis inscribitur, non velut solum de Jure illo Majestatis circa bellum ac pacem agat: sed stylo Ciceronis, qui dixit Pompeji singularem quandam laudem & præstabilem scientiam fuisse in Universo belli Jure ac pacis. Antea velut species allegaverat scientiam de fœderibus,

Officia quotuplicia?

Usus Jurisprud. universalis, quis? & qualis?